



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Svsii E Societate Iesv Opvscvla Litteraria

Suys, Nicolas

Antverpiae, 1620

Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69342)

3

LECTORI.

Quemadmodum publicè
 utiles censentur ij, qui flu-
 ctuantes naufragorū mer-
 ces tempestatī subducunt,
 & cum naues ipsas non possunt, sal-
 tem tabulas colligunt; ne vndarum
 furoribus ea relinquunt, quæ huma-
 nis aliquando vsibus opportuna fu-
 tura sunt: ita nos neque rem inutilem
 suscepturos, & aliquam à litteratis
 gratiam inuituros existimauimus; si,
 NICOLAO SVSIO, è vitæ huius velut
 maris iactatione, ad æternum tran-
 quillitatis portum, vti speramus, eue-
 cto, ad scripta eiusdem aliorum utili-
 tati colligenda, animum adiiceremus:
 Conquisitis itaque omnibus, quæ vir
 ille non vulgari sanè interiorum litte-
 rarum cognitione præstantissimus,
 partim inchoata, partim etiam con-
 summata typis destinârat; ea potissi-
 mè in lucem emittimus, quæ & au-
 ctor, vt cariora, limauit exactiùs, &
 nos, vt maturiora, ad stomachum

Az

tuum

4
tuum magis facere posse, arbitrati sumus. Atque utinam licuisset parenti hisce quasi liberis exquisitam illam, quam mente iamdiu digesserat, dotem annumerare, & extremam manum impendere! essent hæc scripta politiora quidem fortasse paullo, haud paullo tamen plura, & vberiora. Sed immatura mors præclaris conatibus nimum citò intercessit. Tu interim, Lector, hisce quæ dare potuimus, frui, atque auctori benè precare; nos operam dabimus, ut desideratum adhuc à doctis in FLORVM COMMENTARIVM, non publici saporis opus, ab eodem auctore dudum prælo destinatum, bono tuo publice-
mus. Vale.

H. O.

SYL.